



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXXIX. De Asylo in actuali Ecclesiae furto deprehensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

constituimus 17. q. 4. & Leg. Præfenti 6. §. 5. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, quæ à civitatis modò textibus circa servos fuerunt decreta, videntur mihi

ob paritatem rationis locum etiam habere in ipsis militibus, in quos etiam jus aliquod habent Duces, sub quibus stipendia merentur.



## Casus XXXIX.

### *De Asylo in actuali Ecclesia furto deprehensi.*

**C**UM Sempronius miles in ipsa Ecclesiâ furaretur, excitati viciniorum clamoribus milites templum circumdant, duòque ex inferioribus Officialibus: vulgò corporal nominati, templum ingrediuntur, atque Sempronio suum scelus exponere incipiunt, utque quanto citius exeat, excitatiore voce, ac minitantibus gestibus imperant. Sempronius homo valde simplex, totus perterritus pareret; unde ab illis duobus Officialibus inferioribus nulla vi exteriore adhibita è templo eductus, in carcerem conjicitur. Subinde interrogatur, utrum vi ex asylo extractus fuerit, negat sibi ullam vim adhibitam fuisse, fa-

tetur insuper, se jam aliàs plura adhuc alia furta commisisse.

Quær. 1. An Sempronius in hoc casu gaudeat asylo?

Quær. 2. An hic egressus Sempronii dicendus sit violenta extractio?

Quær. 3. Si asylo gavisus fuit, atque injustè extractus, saltem puniri possit ob furta præcedentia?

§. I.

### Synopsis.

Resolvitur primum  
quæsitum.

Kkk 3

An

*An Sempronius in hoc casu gaudeat asylô?*

1. Juxta Laymanum non gaudet.
2. Cùm decisio capit: ultimi de immunit. Eccles. sit universalis, uti etiam ejusdem rationes.
3. Probabilius furem hunc gaudere asylô hujus ipsiusmet Ecclesiae.
4. Quia sola homicidia, & mutilationes sunt crimina excepta.
5. Et quia privatio immunitatis tanquam poena non est extendenda.
6. Satisfit rationibus oppositæ sententiæ.
7. Homicidii, & mutilationis crimina non sunt gratia exempli solùm adducta.
8. Per hoc ex spe immunitatis non sæpius peccabitur.

§. II.

**Resolvitur secundum**  
Quæsitum.

*An hic egressus sit violenta extractio.*

9. Egressus violentus aderit, quando quis vî ex asylo extractus fuerit.

10. Quinque species vis, seu violentiæ à Juristis numerantur.

11. Quid de metu reverentiali sit tenendum?

12. Egressus Sempronii ex metu cadente in virum constantem est factus.

§. III.

**Resolvitur tertium**  
quæsitum.

*Num Sempronius saltem ob furta aliàs facta puniri possit?*

13. Sempronius ob furta, quæ vi hujus examinis confessus est, non potest puniri.

§. I.

**Resolvitur primum**  
Quæsitum.

*An Sempronius in hoc casu gaudeat asylô?*

**A**D primum Quæsitum respondet Layman. l. 4. tract. 9. cap.

9. cap. 3. n. 6. nec Sempronium nostrum, nec ullum alium, qui grave crimen in Ecclesia commisit, gaudere jure asyli: citat pro hac sua sententia capit. ult. de immunitate Ecclesiastica: *Cum in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui deliquit in legem.* Monet insuper, ut de hac re videatur Abbas cap. inter alia. n. 8. Idem sentiunt Navarrus cap. 25. n. 20. Covarruvias 2. Resolutione cap. 20. n. 15. Suarez tom. 1. de Religione. tract. 2. lib. 3. cap. 11. n. 6. Decianus n. 7. Joan. Gutierrez preced. quest. civil. lib. 3. q. 1. n. 17. Bobadilla polit. lib. 2. cap. 4. n. 24. Farinacius q. 27. n. 53. ubi monent, nihil referre, utrum quis in Ecclesia delinquat ex præsumpta spe immunitatis, an sine tali præsumptione, nam utroque casu reum privilegio immunitatis privari, consuetudo optima juris interpres declarat, & quamvis (prout Suarezius num. 6. loci citati discurret) Pontifex loquatur in particulari, de committentibus homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesia, videtur tamen Suarezio Pontifex voluisse excipere om-

nia gravia delicta in Ecclesia commissa: quam mentem etiam fuisse testantur Panormitanus n. 9. Covarruvias n. 15. & Navarrus cap. 25. n. 20. atque hanc sententiam esse communem, fundatam in ipso textu citati Capituli, quod in principio sic dicit: *Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesie obtinere sperantes &c.* ergo de his excessibus generaliter loquitur, de mutilatione autem, atque homicidio mentionem facit exempli quasi gratiâ.

His accedit, quòd in decisione sit universalis sermo, & rationes etiam ejus sint generales: videlicet, *cum in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat &c.* Item quia delinquens in Ecclesia indignus est, ut Ecclesia illi faveat. 3. t.ò. Talis videtur spe immunitatis in Ecclesia peccare: ergo est indignus, ut illa ei concedatur. 4. t.ò. Non videtur credibile, Pontificem voluisse vulnerantibus in Ecclesia denegare immunitatem, illamque committentibus adulteria, fornicationes & furta concedere: ergo &c. 5. t.ò. Ut in Ecclesia delinquens aliquo modo ab Ecclesia pu-

puniatur, eſt juſtiſſimum: ergo &c. His tamen non obſtantibus.

- 3 Ad primum quaſitum reſpon-  
deò, probabiliùs furem, uti &  
committentem alia non exce-  
pta crimina in Eccleſia vi Juris  
Conſtitutionis Gregorianæ, gau-  
dere privilegiò immunitatis. Ita  
ſentiunt Boërius *decifione 109. n.*  
*3. ad medium.* Farinacius in *ap-*  
*pendice immunitatis. c. 16. n. 208.*  
Bonac. *tom. 2. diſp. 3. q. 7. de im-*  
*munitate. §. 5. n. 12.* Jordanus, *n.*  
*338.* Delbene. *dub. 19. num. 10.*  
Wieſtner *l. 3. decret. tit. 49. num.*  
*114.*

Probatur Reſolutio noſtra  
Primò. Omnis delinquens vi  
citatae Conſtitutionis gaudet im-  
munitate hac, ſi nullum crimen  
exceptum commiſit: atqui fur-  
tum in Eccleſia factum non fuit  
exceptum: ergo &c. Prob. min.  
inter crimina excepta in memo-  
rata Bulla ſolùm homicidium,  
aut mutilatio in templo facta  
ſunt excepta: ergo &c.

- 4 Probat. antec. Textus Bullæ  
Gregorianæ ita habet: *Ut Lai-*  
*cis ad Eccleſias, locaque ſacra, &*  
*Religioſa prædicta confugientibus, ſi*  
*ſuerint publici latrones, viarumque*  
*graſſatores, qui itinera frequenta-*

*ta, publicasque ſtratas obſident, ac*  
*viatores ex inſidiis aggrediuntur,*  
*aut depopulatores agrorum, quive*  
*homicidia, & mutilationes membro-*  
*rum in ipſis Eccleſiis, earumque cæ-*  
*meteriis committere non verentur,*  
*aut qui proditoriè proximum ſuum*  
*occiderent, aut aſſaſinii, vel hæreſis,*  
*aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſi-*  
*usmet Principis rei, immunitas Ec-*  
*cleſiaſtica non ſuffragetur. Quive*  
*homicidia, & mutilationes membro-*  
*rum in Eccleſiis earumque cæmeteri-*  
*is committere non verentur. Nulli-*  
*uſque alterius in Eccleſia facti*  
*criminis ulterius mentio fit, ut*  
*patet legenti: ergo &c.*

Confirmatur ex declaratio-  
ne S. Congregationis, qua 18.  
Novembtis 1681, judicavit,  
furtum in Eccleſia commiſſum  
immunitate gaudere. Confir-  
matur 2. Haunold. *tom. 6. de*  
*Jur. & Juſt. tract. 2. n. 198.* Fa-  
rinacius *n. 227.* cum aliis pluri-  
bus negant immunitate privari,  
qui in Eccleſia alium, etiam cum  
magna effuſione ſanguinis, vul-  
neravit, ſi inde mors, & muti-  
lacio non ſequatur: eò quòd ſo-  
lùm homicidium, & mutilatio  
criminibus exceptis annume-  
rentur,

Prob.

5 Prob. 2. Privatio immunitatis est pœna : sed hæc non est extendenda ultra verba legis : ergo privatio immunitatis non est extendenda ultra verba legis, quæ de solis homicidio , & mutilatione loquitur.

6 Respondendum itaque modo nobis est rationibus adversariorum : & quidem non obstat, quòd in *cap. ultimo de immunitate Ecclesie*. occidens, vel mutilans dicatur privari immunitate ob talem rationem, quæ etiam pugnet pro quolibet alio crimine in Ecclesia commisso : ut est, quòd puniri quis debeat in eo, quo deliquit : Item, quòd frustra legem imploret, qui delinquit in legem, ex hoc enim duntaxat infertur, privationem immunitatis in aliis quoque criminibus in Ecclesiis commissis potuisse statui, necdum autem ostensum fuit, quòd actu talis statuta fuerit : Ratio itaque adducta afferitur potius ad probandam causam, qua Legislator adductus est ad hoc statuendum, quàm ad ostendendam rem ipsam, quæ à Legislatoris mente pendet. Dein, ex eo, quòd aliquis sit puniendus in illo, ubi deliquit, tan-

tum sequitur, furem Ecclesiasticum à Judice quoque Ecclesiastico absolutè pœnâ aliqua posse affici, non autem probatur, quòd hac determinata, quæ sit privatio immunitatis, sit afficiendus. Hinc

Negatur à nobis crimina homicidii, & mutilationis exempli duntaxat gratiâ fuisse allata, sed dicimus, ea ut veram materiam integrè prohibitam fuisse appositam. Ratio hoc asserendi præter fundamenta nostræ conclusionis est etiam ista, quòd Papa, si homicidium, & mutilationem solius exempli gratiâ apposuisset, occasionem graviter errandi Ecclesiarum Prælati suppeditasset; cum paucioribus verbis istis, in *Ecclesia delinquentes* excipiendo, mentem suam planius exposuisset. Dein Gregorius XIV. in sua Bulla pro exceptione homicidarum in Ecclesia non attulit rationem, quæ allata fuit in *cap. ultimo citato* : tum, quia illud Capitulum tanquam universale voluit restringere ad solos homicidas, & mutilatores, tum, quia sensum dubium citati Capituli hac sua Bulla declarare voluit, dicendo de solis homicidiis, &

mutilatione illud impoſterum accipiendum eſſe. Potuit autem Pontifex ad hæc duntaxat crimina excipienda permotus fuiſſe, quia cætera non ita frequenter committi ſolent: Item, ſi fur in Eccleſia deprehenſus fuit, eo ipſo res ablata manet adhuc Eccleſiæ, & conſequenter damnum non eſt ita irreparabile, quale eſt homicidium, aut mutilatio.

8 Neque plus aliquid evincit, quod dictum fuit, hac ratione ſpe immunitatis in Eccleſia quàm plurimos peccaturos eſſe: licet etenim ſuppoſita noſtra ſententia ſecuri eſſent fures, non tamen ab omni prorsus pœna ſe immunes futuros prævident, cum & ab ipſo Mâgiſtratu Eccleſiaſtico ſæculari Magiſtratu extradi poſſint, aut alia quadam minore pœna mulctari.

Confirmat hanc noſtram opinionem Benedictus XIV. in ſua Bulla hac ſuper re edita anno 1725. Incipit: *ex quo Divina &c.* in hac enim illos non gaudere immunitate aſyli ſtatuit, qui ſtantes in Eccleſia, vel cœmeterio interficiunt, ſtantes extra Eccleſiam, vel cœmeterium:

cum ergo de nullo alio crimine in Eccleſia commiſſo mentionem fecerit, talia pro exceptis non habuit.

## §. II.

### Reſolvitur ſecundum Quæſitum.

*An hic egreſſus Sempronii ſit violenta extractio?*

9 **P**ergimus modò ad ſecundum Quæſitum, circa cuius reſolutionem certum eſt, prohibitum eſſe quemcunque criminis non excepti reum, ſi aſylo receptus fuerit, ex hoc invitum extrahi, atque extradi, ita enim ſtatuitur *Leg. 2. Cod. de his, qui ad Eccleſias confugiunt. Leg. fidei. 2. Leg. Preſenti. 6. Cod. rubrica citata, can. deſinivit. 17. q. 4. Can. Frater. can. reum. q. 4. & cap. inter alia hac rubrica.* Procedit inſuper hæc diſpoſitio, ſive reus ab ipſo iudice, vel ſine hujus mandato ab alio violentè extractus fuerit, ita, ut iudex hujus violentiæ etiam inſcius in reum animadvertere nequeat, prout ſentiunt *Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 15.*

q. 15 p. 5. ad 2. M. Antonius Genuensis in praxi cap. 17. n. 6. Palao tract. 11. disp. unica. p. 11. n. 2. Wiestner l. 3. tit. 49. n. 136. Contra Suarez. tom. 1. de Relig. l. 3. c. 13. n. 17. in fine. Ratio est: privilegium asyli taliter securos de sua immunitate confugi- entes ad Ecclesiam reddit, ut inviti illâ privari nequeant: ergo si illâ inviti quocumque demum modo extrahantur, de jure non excidunt privilegio asyli. Confir. verba Constitutionis Gregoriana sunt sequentia: *Nec non irritum decernimus, & inane, si super his per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*: ergo extractio inviti non solum illicita, sed etiam irrita est, consequenter corporaliter tali modo extractus habendus moraliter est pro non extracto, sed existente adhuc in loco sacro. Cùm igitur in existentem adhuc in loco sacro procedere judex nequeat, carebit etiam facultate talem puniendi.

Licet autem hæc certa sint, dubium tamen moveri potest, quænam desertio asyli sit dicenda extractio violenta egredienti, ut vi hujus dici possit, quòd

deserens asyllum vi ex isto fuerit extractus: circa quod certum est, violenter expulsus fuisse, qui animo, & voluntate dissentiens, insuper corporis, & animi viribus reluctans, vi externa ex Ecclesia ejectus, atque exturbatus fuit: cùm enim ejusmodi egres- sùs principium aliunde, atque extrinsecus proveniat, neque ulla voluntas patientis accedat, propriè vis seu violentia aliqua vocari poterit. Ad mentem Pauli Jurisconsulti dicentis, quòd vis sit *Majoris rei impetus, cui resisti non potest. Leg. vis autem 2. ff. quod metùs causâ gestum*: Philosophus etiam vim, seu violentiam definivit dicendo: *violentum est, cujus principium est foris, in quod nihil is, qui agit, aut patitur, confert.*

Quòd si vim in hoc sensu acceptam dicamus esse necessariam, ut aliquis dicatur ex asylo extractus, haudquaquam egres- sus nostri Sempronii dici poterit violenta extractio, cùm ille sine injectis manibus, & illata ab extrinseco vi fuerit egressus.

Sciendum, à Juristis quinque species vis, seu violentiæ assignari, compulsivam scilicet, ex-



pulsivam, turbativam, inquietativam, & ablativam. Compulsivam nominant, qua quis compellitur ad aliquid faciendum, v. g. rem suam alteri tradendam, quod non faceret, si externa vi non urgeretur: quæ vis etiam conditionalis nuncupatur, idemque est, quod metus, vel saltem inducit metum, qui juxta Ulpianum est *mentis trepidatio, instantis, seu mox futuri periculi causâ.*

*Leg. 1. ff. quod metus causâ gest.* Aliis metus est passio, & motus animi imminens aliquod malû fugientis: hic metus dicitur gravis juxta Ulpianum in *Leg. metum. 6. ff. hic.* si est metus majoris *malitatis*, id est, mali gravioris, puta mortis, mutilationis, sive amputationis alicujus membri, atrocium verborum, vel corporis cruciatûs. *cap. cum dilectus. 6. Leg. continet. 3. Leg. nec timorem. 7. §. 1. Leg. si per vim. 4. Leg. si donationis. 9. Cod.* præter istâ conditionem, ut detur metus gravis, insuper necessarium est, ut incutiens metum facillè possit exequi, & credatur etiam executurus, minas intentati, vel alterius similis mali, aut saltem consideratis circumstantiis rationabiliter exi-

stimetur executurus id; quod fuerat minatus. uti voluit Pontius *l. 4. de matrim. cap. 2. n. 8. Palao tract. 2. disp. 1. pu. 7. n. 4.* Tertia denique ab Authoribus ad metum gravem requisita conditio est magna existimatio, quam metum patiens habet de malo, ita, ut hoc difficulter, vel omnino avertere, aut evitare nequeat. juxta *Legem Non est. 23. pr. ff. hic.*

Supposito itaque, quòd modo tres enumeratæ conditiones ad metum gravem sint necessariò requisitæ, quæritur ulterius, utrum huic annumerandus sit metus reverentialis, quem filius erga patrem, uxor erga maritum, subditi erga Superiorem habere judicantur. Et quidem pro gravi eum habendum judicant. Glossa in *Can. unusquisque. 8. v. Saltantium. 22. q. 12.* Imola in *6. causam. 17. de officiis deleg.* Bartolus in *legem qui in aliena 6. §. fin. ff. de acquirenda hereditate n. 5.* Navarrus *ad hanc rubricam consil. 10. n. 4.* Menochius *de arbitris, casu 136. n. 8.* & quamvis Authores alii cum Panormitano in *cap. causam cit. Sylvestro V. Metus. n. 2.* Covarruvia, Gutierrez

tierez de jurament. p. 1. cap. 1. n. 15. & plurimis aliis DD, quos Sanchez disp. 6. n. 7. congescit, defendant solum metum reverentialem haudquaquam gravem dicendum esse. Pater Wiestner tamen lib. 1. tit. 40. n. 20. metui gravi, atque in virum constantem cadenti annumerat metum reverentialem, si ultra subditi reverentiam adsint asperitas vultus, indignatio, exprobratio, mala tractatio, rixæ, aut talium subeundorum rationabilis existimatio, vel importunæ, ac repetitæ preces. Insuper Navarrus Manual. cap. 22. n. 51. Menochius de arbitr. casu 135. n. 4. Sanchez disp. 1. n. 21. Wiestner n. 22. loco citato bene observant, ut aliquis metus gravis, aut levis dicatur, saltem in ordine ad voluntarium magis aut minus diminuendum ex qualitate non tantum mali secundum se spectati, sed etiam personæ inferentis, & præsertim patientis desumendum.

12 Ex his facile concludemus, egressum Sempronii nostri ex metu cadente in virum constantem factum fuisse: si enim consideremus circumstantias, tem-

plum erat forinfecus cinctum militibus, duo Officiales inferiores, vulgò corporal, quibus resistere, & non obedire apud militem capitale crimen solet esse, imperabant trucibus minis, exasperato vultu, egressum ex Ecclesia, prout enim Lege velle. ff. de Reg. Juris. dicitur: *velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.* Ipse Sempronius, qui in ipso furto comprehensus fuerat, totus quantus perplexus & animo consternatus erat: cum ignarus jurium fortè cum plebe communi judicaret, peccantem in Ecclesia ab hac non defendi: accedit, quòd insolita quædam simplicitas animi Sempronio inesse dicatur: ergo non immeritò concludimus, egressum hunc Sempronio violentum, atque ex metu in virum constantem cadente extractum fuisse, gaudere consequenter adhuc asylo; cum etiam hoc gaudeat reus, qui ad egressum blandis, ac dolosis verbis, promissione impunitatis ab ipso iudice, istiusque autoritate inductus fuerat, atque hæc pro solutione secundi Quæstiti sufficient.

§. III.

## Resolvitur tertium

Quæſitum,

*Num Sempronius ſaltem ob furta aliàs facta puniri poſſit?*

<sup>13</sup> **E**X his fundamentis facilis eſt quoque reſponſio ad ultimum Quæſitum in eo poſitum, an ſcilicet Sempronius noſter puniri poſſit ob alia furta, quæ à ſe aliis vicibus commiſſa fuiſſe vi hujus examinis confeſſus fuit. Reſpondeo enim, Sempronium ob alia furta, quæ vi hujus examinis præciſè confeſſus fuerat, nequaquam puniri poſſe. Ratio eſt: hoc totum judicium abſque legitima jurisdictione ipſius judicis fuit exercitum: ergo omnia in illo facta ſunt nullius roboris: confequentia conſtat. Sicut enim acta privati contra privatum nihil valent, eò quòd careant jurisdictione debita, ita pariter nihil valent acta publici judicis, ſi iſte debita jurisdictione in propoſitam cauſam ſit deſtitutus. Probatuſque itaque antec, extractio fuit

illicita, eò quòd exercita fuerit in loco exempto, in quo nullam jurisdictionem habet Judex ſæcularis: ergo hoc totum judicium abſque debita jurisdictione fuit exercitum. Prob. conſeq. omnis, & totus valor jurisdictionis fundatur in licita extractione & captura Sempronii: ergo ſi hæc extractio nequaquam fuit licita, nullus eſt valor requiſitæ jurisdictionis. Prob. antec, ut judex actum jurisdictionis validæ in reum exerceat, debet antea hanc acquiſiſſe per legitimam, licitam, atque validam acquisitionem jurisdictionis in reum: ergo ſi mediante extractione, non acquiſivit hanc jurisdictionem, non poteſt validè actum jurisdictionis in illum exercere. Ita Suarezius *l. 3. cap. 13. à n. 12.* Farinacius *in appendice de immunit. cap. 2. n. 10.* Bonac. *diſp. 3. q. 7. de immunit. §. 5. num. 2.* Confirm. Judex injuſtè extrahens ſemper obligatus eſt ad reparandam injuriam Eccleſiæ factam, & quia iſta reparari nequit, niſi reus reſtituatur, erit hujus reſtitutio facienda. Juxta Marian. Itali. *tract. de immunitate Eccleſiæ. l. 1. cap. 6. §. 2. n. 41.*  
&

& sequentibus. Farinacium loc. cit. c. 2. n. 49 Palaum de immunit. Ecclesiastica disp. unica. pu. 11. n. 12. Confirm. 2. Juxta communiter receptam regulam. Spoliatus ante omnia est restituendus : ergo cum Ecclesia sit spoliata jure de-

tinendi confugam, ante omnia per hujus dimissionem erit Ecclesia restituenda : ergo non poterit intermissa hac restitutione ob alias commissa furta puniri saltem corporaliter.



## Casus XL.

## De Sepultura Acatholici.

**B**onifacius Legionis cujusdam Cæsareæ in præsidio degentis Sacellanus, cum ad efferendum cujusdam militis funus vocaretur, superpellicedò, & stolâ indutus comparet ; quia autem postea intellexerat, defunctum acatholicum esse, depositis superpellicedò, & stolâ, indutus pallio funus ad cœmeterium Catholicorum, ubi mortuus depositus fuerat, comitatur, omittis precibus, cæterisque solemnitatibus, quæ in funere Catholicorum adhibentur, occasione hujus.

Quær. 1. Utrum Bonifacius aliquam censuram incurrerit?

Quær. 2. Utrum non saltem peccaverit graviter?

Quær. 3. Utrum cœmeterium hac ratione profanatum fuerit?

## Synopsis.

## §. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*Utrum Bonifacius censuram aliquam incurrerit?*

1. Juxta Canones hæreticus ipso jure excommunicatus est censura latæ sententiæ.

2. Alii